

nale. Quod si excipiatur Platonem primum id fecisse, falsum est. Docuimus namque tomo praecedente id Pythagoreos ante eum fecisse. Si vero Plato dicatur id cum illis fecisse, recte dicitur:<sup>99</sup> *Et attribuit cuique virtutes congruas, atque hucusque recte. At si*  
 5 *hoc recte a Platone factum et a Pythagoreis id natura animae patiebatur. Cur ergo virtutes suas Aristoteles non secundum animae potentias ordinavit? Cur cuique proprias non attribuit?*<sup>100</sup> *Sed post hoc non recte. Virtutem namque immiscuit negotio, quod est de bono.* Id iam falsum est: nullibi enim id Plato commiscuit neque reperitur in eius libris hoc, quod addit:<sup>101</sup> *De entibus enim et veritate loquentem non oportuit de virtute disserere, nihil enim huic et illi commune est.* Nullus enim est in totis Platonis libris ubi de ente disputans sermonem de virtute commiscuerit. Est quidem  
 10 5. Rei publicae ubi de praesidibus civitatis disputans optimis,  
 15 vult eos philosophos esse, qui vero sint philosophi, declarans ad cognitionem idearum, entis, ad veritatem, ad scientiam, ad opinionem, ad experientiam, ad philosophiam, ad philodoxiam, ad philosophum fit transitus, a quo ad bonum, ad ideam eius, ad eius filium, ad intelligibilia, ad philosophiae partes, ad dialepticam, ad ingenia philosophica et ad gubernatores civitatum,  
 20 enumerationem rerum publicarum et mutationes iam dictas pro-greditur. Neque tamen toto hoc tribus fere libris contento opere ullo in loco virtus cum bono commiscetur. Falsa ergo est eius obtrectatio.  
 25 Quod vero in Socrate postmodum reprehendit:<sup>102</sup> *Neque hic recte virtutes enim scientias faciebat.* At ultimo capite aliter eadem hac de re docet:<sup>103</sup> *Quare non recte Socrates dicebat asserens virtutem*

<sup>99</sup> καὶ ἀπέδωκεν ἐκάστῳ ἀρετᾷς {τὰς} προσηκούσας. [ARIST. M M 1.1.8.2 – 3]

<sup>100</sup> μετὰ μέντοι τοῦτο οὐκέτι [οὐκ] ὁρθῶς, τὴν γὰρ ἀρετὴν κατέμιξεν εἰς τὴν πραγματείαν τὴν ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ. [ARIST. M M 1.1.8.4 – 6]

<sup>101</sup> ὑπὲρ γὰρ τῶν ὄντων καὶ ἀληθείας λέγοντα οὐκ ἔδει ὑπὲρ ἀρετῆς φράζειν οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινόν. [ARIST. M M 1.1.8.7 – 9]

<sup>102</sup> οὐκ ὁρθῶς δὲ οὐδ' οὗτος. τὰς γὰρ ἀρετὰς ἐπιστήμας ἐποίει [ARIST. M M 1.1.7.2 – 3]

<sup>103</sup> διὸ οὐκ ὁρθῶς Σωκράτης ἔλεγεν, φάσκων εἶναι τὴν ἀρετὴν λόγον [λόγους]: [ARIST. M M 1.34.25.3 – 5]